

ros videm9, partim quòd aliorum Authoritate seducti sint, partim, quia cum res versetur circa exquisitam quandam subtilitatem, grossiori, qua vtebantur, indagine, ad Veritatis scopum perueniendi via omnis præclusa fuerit.

Hæc itaque de ijs, quæ hoc Capite tractanda erant, & luculenter in medium protulisse, & satis euidenter, tot adhibitis diuersis ratiocinationibus, Geometriæ Arithmeticæque inuicta certitudine Demonstrasse, sufficiat.

CAPVT SEPTIMVM.

De Cometa cauda, eiusque apparentiæ rationibus, ex Observatione crebra deductis, Geometricæque Demonstratis.

PXpositis in hunc modum, & è certis pluribusque Observationibus, Triangulorum Numerorûmque Legibus, euidentissimè comprobatis ijs, quæ circa Cometæ caput considerata expendendâq; fuere: restat nunc, vt Caudæ etiam, quo ad eius situm motûmque, ex apparentijs per Observationes crebras animaduersis, habitudines explicemus, demonstrémusque. Siquidem cauda, quasi potissima maximâque ipsius pars appareat, quæ plurimum etiam in oculos incurrat; vt ob id hæc secundariæ, siue nocthæ Stellæ, Crinitarum Caudatarûmque nomine appellentur, quòd plerumque caudam aliquam in longum, crinium more dispersam, protendant, nec circumquaque, vt reliquæ Stellæ, rotundæ conspiciantur. Quamuis caput ipsum per se consideratum, satis rotundum existat, & compactiori corpore, luminèque clariori præditum cernatur, cauda illa rarioribus radijs, & quasi transparentibus; præsertim quòd fini propior existit à capite prominente. Qualis autem fuerit huic Cometæ, quòd ad caudam, forma, quantitas, & color, ab initio, tum in Procæmio, tum etiam Capite primo, in-